



Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvací, 1625

De versiculis ante initium operis legendis. XIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](#)

C A P V T X I X .

De versiculis ante initium operis legendis.

1. **I**N corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Nam citò *Psal. 118.*
corruet homo in malum, si nō habuerit aliquid boni in corde
suo, de Deo Iesu salutari suo. Ut ergo promptè habeas Deum in
mente, omnia, quæ audis & vides, legis & pensas, trahe ad Deum.
Memoresto nominis Domini Dei tui, dic ac nocte, ut bene sit ti-
bi cum eo, quia sine eo semper male tibi erit, ubicumque fueris,
& quicquid habueris. Quando suscitaris in nocte, aperi oculos
tuos, & lege versiculum istum, & dic ad te ipsum: *Surge, surge, qui Ephes. 5.*
dormis, & illuminabit te Christus; qui promisit coronam vigilan-
tibus & orantibus. Cum pulsatur iterum, mox lege: *Ecce Sponsus Matt. 25.*
Iesus venit, exite obuiam ei. Qui tardè venit, confundetur, & bene-
dictione carebit.

2. Cum vocatus fueris ad laborem, lege: *In nomine Iesu Christi Aet. 3.*
Nazareni, surge & ambula, & fac opera tibi iniuncta; quia melior *1. Reg. 15.*
est obedientia, quam victima propria. Inter laborem sœpe ora,
psalmos deuotè ruminā, fabulas caue, Iesum inuoca, & genua fle-
ste. Ad sonum campanæ, lege: *Ave Maria, & ei te commenda.* Ad
pulsum chori, lege: *Hoc signum magni regis est, eamus, & offe-* *Matt. 2.*
ramus ei munera, aurum, thus, & myrrham. Quando chorūm in-
tras, lege: *Introibo in domum tuam Domine, adorabo ad templum Psal. 5.*
sanctum tuum in timore tuo. Quando cum alijs itas in choro, le-
ge: *In conspectu Angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctū Psal. 37.*
tuum, & confitebor nomini tuo. Quando exis ē choro, lege: *Deduc Psal. 118.*
me Domine in semita mandatorum tuorum, quia ipsam volisi. Quan-
do intras sacratiam, lege: *Verè locus iste sanctus, in quo sacerdo-* *Gen. 28.*
tes & ministri se præparant ad diuina celebranda. Quando gra-
dum dormitorij ascendis, lege:

3. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum: Deum meum, & Deum vestrum, alleluia.* Quando descendis, lege: *Zachæ, festinans Luke 19.*
descende: quia hodie in domo tua oportet manere. Quando intras cel-
lam, lege: *Aperite mihi portas iustitia, ingressus in eas confitebor Do-* *Psal. 117.*
mino. Hec requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi Psal. 113.
eam. Quando exis foras, lege: *Dirige Domine Deus meus, in con- Psal. 5.*
spectu tuo viam meam. Domine sequor te, quocumque ieris, quia ver- *Matt. 8.*
ba vita aeterna habes. Cum redieris, lege: *Bonum est nos hic esse, fa- Ioan. 6.*
ciamus hic tria tabernacula, cum Iesu & Maria, & tota cæli curia; *Matt. 17.*
quia melius est hic, quam in platea. Cum pulsatur ad prandium,
lege: *Beatus, qui manducabit panem, in regno Dei.* *Mens cibus est, ut Luce 14.*
faciam voluntatem Patris mei, qui est in celis. *Ioan. 4.*

4. Ante

*Psal. 79.**Psal. 67.**Ioan. 19.**Psal. 118.**Sap. 12.**Psal. 30.**Psal. 123.**Psal. 118.**Psal. 103.**Ioan. 13.*

4. Ante gustum cibi, lege: *Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis, in mensura.* Si malè sapit cibus, lege: *Dederunt in escam meam fel, & in sci mea potauerunt me aceto.* Cū ergo Iesu acceperit acetum, dixit Patri: *Consummatum est, & maxime clinato capite emisit spiritum.* Felix qui cum Iesu in cruce moritur, vt cum eo resurgere mereatur. Si cibus bene sapit & potus, pro cōmuni paratus, lege: *Quād dulcia fanticibus meis eloquia tua, super mel & fauum ori meo!* O quād suavis est Domine spiritus tuus, & quam magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te! Ante initium operis, lege: *Aduitorium nostrum in nomine Domini, qui fecit calum & terram.* Omnia ad laudem Dei, lege: Adesto omnipotens Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, lege: Assiste mihi, ô pia virgo Maria, cum Iesu dilecto Filio tuo, salvatore meo.

5. In fine omnis laboris lege: Deo gratias, Deo laus pro omni bono. Ante lectionem in libro, lege: *O eterna Sapiētia, renela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Emitte Spiritum tuū, & creabuntur in me virtutes & dona gratiæ, cum spe futuræ gloriæ. Post studium, pone librum ad locum suum, & recogita quæ legisti, memorans verbum Domini, quod in cœna dixit: *Si huius scitis, beati eritis, si feceritis ea.* In omni verbo Dei inuenies manu cæli, si rectè intelligis, & bene vivis. Si malè vivis, lapis est non panis suavis. Converte cor tuum ad humilem & pium Iesum, & inuenies animæ tuæ solatium; & omnia aduersa conuertentur tibi in bonum & eternum gaudium.

C A P V T XX.

De septem virtutum gemmis bona congregationis.

*Psal. 111.**Psal. 1.**Prov. 10.**Psal. 118.*

1. Generatio rectorum benedicetur, & iter impiorum peribit. Benedictio Domini super caput iusti: maledictus verò, qui declinat à mandatis Domini. In omni bona & deuota congregacione, fulgent præcipue septem commendabiles virtutum gemme, tanquam devotionis signa, Deo & Angelis placita, sed dæmonibus contraria. Prima gemma est obedientia in subditis, vt omnes superiori suo sponte, prompte, & humiliiter obdiant; & vnuquisque propriam voluntatem suam relinquat, & cū Christo omni hora dicat: Pater non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Pater fiat voluntas tua bona, & non mea mala. Sic vincitur diabolus, & consilium eius annullatur; crescit obedientiæ meritum, & augetur cælestē præmium.

2. Secunda gemma est concordia in bonis moribus; vt simul laborent, vigilent, orent, ieiunent, edant, & inuicem se conforment;

